

Dušan Velkavrh:

F L O R E M T I B I D A B O

En veni, florem tibi,
In me qui viget, dabo,
Hic pro te viret modo!

O veni, florem tibi
Largiar, gemmam meam
Explicabo floream,
Care mi, pro te libens!

Non de vere somnio,
Quippe quod mecum gero,
In sinu tenens meo.

Ver non nuntiabit hoc
Sempiternum aevum mihi,
Mortem non perhorreo,
Mortem obibo propter id,
Ut renascar denuo
Ipsa in te, tenerime.

En veni, florem dabo
Iam tibi, pro te modo
Florui, solum tibi
Me licet decerpere!

Ljubljana.

Vertit: *S. Kopriva.*

Lojze Filipič:

PULCHRA ARBOR ET ARBOR TAETRA

Taetrae pulchra dat arbori decorem,
Taetrae pulchra suos flores dat arbor,
Gratiam quoque taetrae pulchra praebet.

Pulchrae taetra dat arbori susurrum,
Pulchrae taetra dat arbor foeditatem,
Pulchrae taetra dat et vicinitatem.

Sic et pulchrior est, quae pulchra quippe
Arborem prope taetram crescit arbor.

Ljubljana.

Vertit: *S. Kopriva.*